



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 63. Ejusdem victoria de Turcis reportata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

pluribus juxta ac præclaris victoriis in-
gentem sibi gloriam peperit. Jam tertia Sæcul. XV.
A. C. 1443.
enim clade Turcas affecit, harum primam
influxit Belliducibus Amuratis Imperato-
ris, quem a septimestri Albæ Græcæ
obsidione re infecta inglorium discede-
re coegit, alteram edidit in Transilva-
nia, tertiam denique apud Vascapum in
finibus ejusdem Provinciæ. Solum hu-
jus Viri nomen Turcis tantum incuffit
terrorem, ut ipsi quoque eorum infan-
tes nonnisi ingenti cum terrore illius no-
men pronuntiare auderent, eundem ap-
pellitantes *Jancum Lain*, seu Joannem
sceleratum.

§. LXIII.

*Huniadis victoria de Turcis repor-
tata.*

Huniades igitur tanti nominis Vir de-
lato sibi a Ladislao copiarum impe-
rio adeo feliciter rem gessit, ut datum
negotium executurus, noctu per insidias
Turcas oppresserit, & (ut referunt Histo-
rici) triginta eorum millia fuderit, qua-
tuor millia unacum novem signis in ca-
ptivitatem abstraxerit, reliquos autem in
fugam egerit, quingentis duntaxat suo-
rum desideratis. Parta hac victoria,
Christiani inde ulterius progredientes,
cum ad fines Thraciæ & Macedoniæ per-

*Æn. Sylv. ep.
44. Et gr.*

Sæcul. XV.
A.C. 1443

venissent, ad montem Hæmum iterata grandi cæde alium Turcarum exercitum, quem Amurates ad tuendas montium fauces ex Asia evocaverat, affecerunt. Ladislaus tot victoriis auctus, Budam postea ingressus, ut voto, quod nuncupaverat, satisfaceret, nudis pedibus templum Beatissimæ Virginis accessit, hostiumque vexilla fornici Ecclesiæ affigi iussit. Æneas Sylvius, qui tunc Imperatori a secretis erat, scribit, Hungaros cupiditate gloriæ occupatos hanc victoriam nimium exaggerasse, cum tamen Julianus Cardinalis nonnisi duo millia Turcarum cecidisse, & ferme quatuor millia capta, inter quos *Bassas*, seu Belliduces tredecim, & signa militaria novem numerant, in suis literis affirmet.

§. LXIV.

Scanderbegi Historia.

*Reginaldus
hoc ann.*

Erat in Turcarum exercitu celeberrimus ille Scanderbegus, de cujus gloriosis facinoribus Historici mira enarrant, & plures Auctores vitæ ejus commentaria conscripserunt. Hic proprio Originis suæ nomine Gregorius Castriottus appellatus est, Filius Joannis Albanicæ, seu Epirotarum Regis, quem Amurates II. Turcarum Imperator ad tantas redegit angustias, ut eidem quatuor suos Filios, querum